



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quæst. XX. Vtrùm benigna sententia, tradens usum opinionum
probabilium esse licitum, ullam patiatur limitationem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

QUAESTIO VIGESIMA.

Virum benigna sententia, tradens usum opinionum probabilium esse licitum, ullam patiatur limitationem?

Celladeus inconfidentia nobis immerito affingit.

CELLADEUS, ut invidiam in opinionem benignam, & in consequentiam in ejus Auctores conjiciat, tota quaest. 13. lib. 1. multum laborat, ut ostendat Auctores illius nil universaliter hac ex parte tenere, sed alios haec, alios illas limitationes afferre. In primis asserit, Auctores quosque gravissimos asseritum suum restrinxisse ad casus, in quibus quaestio solum procedit de licito & non licito, nec imminet praedictum tertii. Unde in primis quidam docent, Judicem obligari ad sequendam probabiliorum, &c. Alii eandem restrictionem ad Medicos, Chirurgos, & Sacramentorum Ministros extendunt. Unde infert, opinionem asserentem usum opinionum minus aut aequè probabilium esse licitum, non esse plurimorum gravissimorumque Auctorum, sed paucorum, eamque ad pauca extendi, quia maxima moralis Theologiae pars pertinet ad justitiam commutativam, vel distributivam, aut certe agit de casibus tertiam personam concernentibus. In hisce autem materiis gravissimi quique Auctores obligant omnes aut ad tutiorem, aut certe ad partem probabiliorum. Hinc auctoritas opinionum minus aut aequè probabilium usui favens, plurimum imminui videtur. Sed & aliorum auctoritatem ex eo etiam imminutam vult Celladeus, quod in consequenter in hac materia discutant, cum aliqua, imò plura excipiant, in quibus tamen eadem ratio militat. Putat ergo exceptiones plurimas esse prorsus necessarias, maxime illam de Judice. Imò §. 2. multa ingeniosa & solida adducit ad probandum, illicitum esse Judicis sequi opinionem minus probabilem. Hoc peracto, contendit exceptionem Judicis esse in consequenter fictam, ideoque omnia prorsus esse excipienda, idque ex mente illorum Auctorum, quos tam firmiter adhaesisse dicit exceptioni illi (quae prorsus necessaria est) ut si coacti fuissent vel ad usum probabilium universim negandum, vel ad eum universim in judiciis concedendum, maluissent eum prorsus negare, quam in judiciis concedere. E contrario approbat consequentiam eorum (quos maxima ex parte dicit esse recentiores) qui absque ulla exceptione universalissimè docent, probabile esse sufficientem rectè operandi regulam. Verum cum hi convincantur falsitatis in Judice, & sic cogantur exceptionem facere, cum tamen nullum exceptioni locum esse fateantur; illi verò exceptionem faciant, & ideo in consequenter arguantur, quid aliud sequitur, quam doctrinam, ex qua talia inevitabiliter sequuntur, ex toto esse rejiciendam? Ego in tract. de Const. prob. quaest. 24. fusè egi de obligatione Judicis, ibique ostendi, Judicem teneri ad partem probabiliorum, ostendique oppositum non esse probabile. Ibidem etiam equivocationem adversariorum, qua Celladeus etiam

laborat, detexi, probaviq; nec casum Judicis, nec ullum alium universalissimo opinionum practice probabilium usui refragari, aut exceptionem ponere. Legatur quaestio. & quidquid Celladeus hic objicit, & multa alia soluta, atque in adversarios retorta in illa inveniet. Quare ne dicta repetam, & f. & faciam, aliud hic non praestabo, quam equivocationes Celladei hac in re, atque inutilitatem hujus quaestionis ab ipso infituae detegere, aliaque ejusdem errata corrigere. Sit ergo

ASSERTIO PRIMA.

Sententia benigna de licito probabilium usu, in sensu legitimo quem Auctores illi tribuunt, nullam patitur exceptionem, sed in tota sua universalitate est vera. Propositum sit autem legitimum illius sensum explicare.

DECLARATUR assertio. In primis benigna sententia, universaliter docens usum probabilium esse licitum, non loquitur de speculativè sed solum de practice probabilibus. In eo autem differt probabilitas speculativa à practica, quod practica non de rebus & juribus, sed solum de licito & illicito tractet. E contra verò speculativa probabilitas de juribus & rebus, non de licito & illicito enunciat. Jam Auctores omnes, qui dicunt usum probabilium esse licitum, solum loquuntur de opinionibus practice probabilibus. Plerique hoc expressè testantur; alii id ipsum supponunt; nemo enim illorum invenietur, qui unquam dixerit, quidquam licitum ulli esse, quod non est saltem probabiliter licitum. Rursus, qui limitationes addunt, eas desumunt ab opinionibus, quae non procedunt de licito, sed solum de rebus, earumque existentia, virtute causativa, &c. Sic dicunt non licere medico sequi opinionem, quae probabiliter enunciat hanc medicinam fore utilem, si sit probabiliter etiam periculosa; modò adint alia medicamenta non noxia, probabiliter profutura. Similiter docent non licere Sacerdoti absque necessitate consecrare in secali, quamvis probabile sit, panem ex secali confectum esse materiam consecrationis; quia in hisce aliisque casibus ejusmodi non est probabile, quod liceat medico talem medicinam praescribere, aut quod liceat Sacerdoti talem panem consecrare. Uno verbo, nunquam afferunt ullam exceptionem de opinione probabili, quae directè docet aliquid esse honestum. Ergo signum certissimum est, quod solum loquantur de probabilitate practica, atque generalis suam asserentem de licito probabilium usu ad solum probabilitatem practicam restringant.

Benigna sententia nullam patitur exceptionem, sed in sua universalitate est vera.

3. Altera benignæ sententiæ declaratio potius quam limitatio est, quod realis tantum certoque subsistens probabilitas, non imaginaria aut solum probabiliter apparens requiratur, ut usus talis opinionis sit licitus. In hoc etiam omnes ferme illius Auctores conveniunt. Pauculi aliqui, & quidem valde pauculi, nec tanti nominis Auctores expressè dixerunt, opinionem probabiliter tantum probabilem sufficere; sed hi ab aliis repudiantur, nec illorum Auctoritas tanti est, ut contra omnes priores & posteriores reclamantes assertum suum reddat certò probabile. Itaque benigna sententia universalis est, nec ullam patitur exceptionem. *Asserit autem, licitum cuique esse in materia morum sequi quamcumque opinionem certò practicè probabilem, etiam illam, quæ, directè considerata, est minus probabilis, minusque tuta.* In hac assertione omnes conveniunt, qui docent usum opinionum probabilium esse licitum, neque ullus, præter unum Comitolum, assertum suum ad probabiliorè partem restrinxit; si sermo sit de Auctoribus, qui à centum annis, ante nuperam contentionem de hac materia à Jansenistis excitatam, materiam hanc tractarunt. Cæterum pauci illi, qui, post ortam controversiam hanc, majorem pro regulanda conscientia probabilitatem requirunt, re ipsa à nobis non discrepant, cum nos etiam teneamus neminem excusari, nisi sectetur partem, cujus honestas, omnibus argumentis etiam reflexè probantibus inspectis, est ipsi probabilior, quam ejusdem inhonestas. Itaque illi non negant, eum tutum fore, qui sequitur opinionem directè minus probabilem, modò ex argumentis reflexis prævalentibus probabilitas ejusdem evadat major, & operans absolute atque probabilius existimet, rem illam esse absolute licitam. Ergo re ipsa nobiscum consentiunt, ut fusè ostendit *quæst. 22. de Consc. prob.* Stat ergo benignæ sententiæ Patronos nullam prorsus exceptionem ponere, aut de ulla particula in assertione contenta dubitare, modò illa restringatur ad probabilitatem practicam & certam, de qua sola certum est, Auctores illos esse loquutos, quando pro moribus dirigendis illam proposuerunt, quia nulla nisi sola practica probabilitas ad mores dirigendos idonea est. Itaque assertio posita est indubitanter vera.

ASSERTIO II.

Exceptiones de Iudice, Medico, Ministro Sacramentorum, aliæq. ejusmodi, quas Celladeus congerit, non sunt ad rem, nec tangunt difficultatem præsentem.

Exceptio-
nes de Judi-
ce, Mini-
stro, &c.
non sunt ad
rem.

4. **P**ROBATUR. Tota quæstio versatur in eo, an usus cujusvis opinionis certò practicè probabilis sit licitus? E contra, exempla illa procedunt de opinionibus solum speculative probabilibus, utpote quæ non agunt de licito & illicito, sed solum de rebus & juribus, de quæ materia idoneitate ad aliquem effectum, &c. Ergo non sunt ad rem, neque tangunt præsentem difficultatem; ad hoc enim afferri deberent exempla opinionum practicè probabilium, quas Auctores benignæ sententiæ exciperent. Itaque quæcumque Celladeus fundat in hac exceptione, quam necessariò faciendam esse ait, nullius sunt momenti; quia sunt illationes ex subjecto non supponente, eò quòd ipse æquivocaverit, atque in unum confuderit omnem probabilitatem; ac

deinde de omni negaverit, quod de altera sola negandum est, intuleritque Auctores gravissimos in consequenter locutos fuisse, eò quòd aliter de una, aliter de altera probabilitate locuti sunt, & exceptionem suæ Thesi apposuerunt, cum nec unam limitationem addiderunt, quæ restringeret materiam, de qua disputabant; sed solum attulerint exempla diversi generis, ut ostenderent, se non de illo, sed de alio genere probabilium loqui; quod certè non est limitare, sed explicare assertionem, ne Lectores, ex unitate vocis *opinio probabilis* plura genera complectentis, existimarent illos agere de omni omnino opinione probabilis, cum solum agerent de illa, quæ probabiliter enunciat aliquid esse licitum. Eadem de causa nulla ex hoc capite potuit in eis esse inconsequentia, cum ab eo quòd non liceat sequi unum probabilium genus, non sequitur alterum probabilium genus, non esse licitum; nam si non liceat sequi quod nequit prudenter credi licitum, non sequitur, licitum non esse sectari quod certò prudenter creditur esse honestum. Hæc enim genera probabilitatum sunt adeo diversa, & inter se ratione dispositionis ad licitè operandum adeo contraria, ut ex uno ad alterum nulla trahi possit consequentia, sed necesse sit, consequentias oppositas & prorsus contrarias ab illis deduci.

5. Dices. Nónne plures docent, Judici licitum esse sequi opinionem minus probabilem? hoc non obstante, plurimi id negant. Ergo exemplum Judicis procedit de probabilitate practica. Ergo Auctores limitant assertionem suam de usu opinionum practicè probabilium.

Respondeo opinionem, asserentem licere Judici sententiam proferre juxta sententiam minus probabilem, fuisse olim saltem extrinsecè probabilem, ob multitudinem Auctorum gravium eam affirmantium. At nunc ob consensum posteritum diligentius rem investigantium, novasque rationes gravissimas, ab antiquis non ponderatas asserentium, veritas ipsa sufficienter comperta est, & illa sententia jam quodammodo antiquata amplius reputari non potest probabilis, donec rationes, quas in *quæst. 24. de Conscientiâ prob.* à me expressas habes, de novo examinentur & probabiliter saltem solvantur. Hisce addo rationes à Celladeo excogitatas, qui quando sequitur communes opiniones, non minus feliciter & verè, quam ingeniosè in iis comprobandis laborat. Rationes ejus sunt. Prima, si Judici liceret sententiam proferre juxta sententiam minus probabilem, eo ipso Judices in omnibus ferè litibus non ministri justitiæ (quæ nihil pro arbitrio, nihil indifferenter, sed ad unum inflexibiliter alligatur) sed arbitri essent causarum litigiosarum, ut cui mallent causam judicare; cum rarò, aut nunquam eveniat, quin utraque pars habeat pro se opinionem saltem minus probabilem, quam Advocatus causæ allegat, dum Auctores & leges pro suo cliente citat. Consequens autem omnium sensu & consensu est malum.

6. Secunda ratio. Frustra esset viros doctissimos ac integerrimos pro Judicibus eligere, nec ad hoc Principum conscientia obligarentur; quia quilibet, mediocriter doctus, sufficeret ad minus illud debitè implendum, modò distinguere posset inter probabile & improbabile. Hoc præterea ex eo confirmatur, quòd in judiciis Advocati adfunt, qui causas examinant, rationum omnium momenta expendunt. Unde facillimum

Nulla in
Auctoribus
benignæ
sententiæ
inconse-
quentia.

Non licet
Judici in ju-
dicando se-
qui partem
minus pro-
babilem.

Celladeus
feliciter & in-
geniosè est
in commu-
nibus asser-
tionibus &c.
probandis.

crit

erit Judici dignoscere, an & cui parti faveat opinio probabilis. Demum cum judicia sint publica, & sententia publicè feratur ac promulgetur, nemo potest esse tam perditæ famæ, qui pro parte nullam probabilitatem habente ferat sententiam contra partem oppositam probabilissimam. Advocati enim partis damnatæ, omnesque alii statim reclamarent, illumque ut injustissimum accusarent. At sequela est parenter absurda, & contra communem omnium sensum.

Ratio ab inconvenienti.

7. Tertia ratio. Hoc arbitrio iudicibus concessio, melius esset loco iudiciorum sortes instituire. Inprimis sic innumeræ expensæ vitarentur. Deinde fors aequaliter faveret omnibus, cum Judex, si pro arbitrato sequi possit quamlibet partem probabilem, semper magis inclinabit ad amicos & potentes, ut illis gratificetur, & horum gratiam obtineat. Unde si hoc Judici liceret, & simpliciter malè consultum esset miseris & pauperibus, & longè deterius, quam si omnes lites per sortes terminarentur. Jam ratio, quæ ostendit absurdum esse uti sortibus pro litibus de jure determinandis, ea est, quia est medium merè casualiter connexum cum deputatione rei ad legitimum Dominum, & æquè favet non Domino ac Domino. At idem eveniret in casu iudicis, quando aut opinionem essent aequè probabiles, aut Judex magis propenderet contra Dominum, quando pars minus probabilis, ut sæpe evenit, faveret non Domino. Ergo omne inconveniens in usu sortium pro litibus determinandis involvitur in eo, quod liceat Judici sequi quamcumque opinionem probabilem voluerit. Imo majora sunt inconvenientia in arbitrio iudicis, ut dictum est.

Ratio ab auctoritate.

8. Quarta ratio. Lumen naturæ dicat, officium iudicis postulare, ut dicat quod sibi videtur in causa proposita, atque eam partem præferat, quam melioribus rationibus stabilitam videt. Deinde per leges jubetur ita se gerere. Siquidem *l. qualem ff. de arbitr. & alibi statuitur, omnino dicat quod sibi videtur.* Hisce addo ego textum ex Sacra Scriptura longè efficaciorum, & sic arguo. Si liceret Judici sequi opinionem minus aut æquè probabilem, licitè posset misereri pauperis in iudicio. Quia absque dubio ferre posset sententiam in favorem potentis, cui jus probabilius faveret. Ergo esset misericordia erga pauperem, si in ejus favorem sententiam proferret, quando rationes illi faventes essent minus probabiles. Et sanè si aliquid extrinsecum posset honestare talem sententiam iudicis, illud esset misericordia erga pauperem indigentem. At hoc est illicitum; quia *Exod. 23. vers. 3. expressè dicitur, Pauperis non misereberis in iudicio.* Ergo non licet iudici sequi sententiam minus aut æquè probabilem.

9. Hæ rationes Celladei (nam alias omni ex parte non probo, sed secundum quid mox impugnavo) sicut & textus à me allatus eò tendunt, ut ostendant, oppositum non esse probabile. Ego has ipsas rationes magna ex parte, aliasque plures in dicta quaest. 24. diligenter examinavi, quibus adeo convictus sum, ut iudicare nequam oppositum esse probabile. Neque unquam esse poterit probabile, donec rationes illæ, utpote ab Auctoribus contrariæ sententiæ non ponderatæ, solutæ fuerint, & veritas contraria rationabiliter stabilita. Itaque jam exemplum iudicis non est ad rem, quia non est de opinione, quæ jam sit practicè probabilis. Ergo est exemplum fundamentum in solo probabili speculativo, quia scilicet supponitur certò probabile, quod jus utriusque

R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

parti faveat. Hoc autem probabile nil enunciat de honestate iudicii aut sententiæ à iudice ferendæ, ut patet.

10. Jam ergo, sicut olim probabile erat, iudicem licitè iudicare posse secundum sententiam minus probabilem, ita olim id illis erat licitum; nunc autem hoc est illis illicitum, quia prior illa probabilitas cessavit. Quod si iudex adhuc bona fide sequeretur opinionem plurium ac gravium Doctorum asserentium, ipsi si licitum esse talem sententiam proferre, atque post diligentem suæ obligationis inquisitionem, certò probabiliter crederet id sibi licere, eò quod invincibiliter ignoraret rationes, quibus sententia illa convincitur esse improbabilis, in hoc casu iudex sic iudicando non peccaret, nisi fortè merè materialiter, quia ex prudenti ac certò practicè probabili iudicio conscientiam invincibiliter formatam haberet. Nec mirum, quia quamvis mihi, Celladeo, aliisque, qui rationes à nobis allatas debite ponderaverunt, non sit probabile, quòd liceat iudici sic iudicare; hoc tamen non infert, id aliis, atque peculiari alicui iudici non posse esse probabile. Unde quamvis ego peccarem, si iudex effectus taliter iudicarem, non ideo sequitur, illum peccaturum, quia ille aliter formare potest conscientiam, quam ego possem. Et hæc est alia terminorum confusio apud Celladeum, qui non distinguit de illicito simpliciter, & de illicito respectu hujus & illius, quæ tamen maxime distinguenda sunt. Quamvis enim simpliciter illicitum sit taliter iudicare, tamen per accidens id licitum esse potest alicui.

Celladeus non distinguit inter licitum per se, & licitum per accidens.

ASSERTIO III.

Non est verum, plures recentiores & aliquos antiquos universalissimè docuisse, probabile ubiq; esse regulam morum.

Non est omnium opinio quod quodvis probabile sit regula morum.

11. **P**ROBATUR. Non invenitur confidabilis multitudo Auctorum, sive antiquorum, sive recentiorum, qui aut expressè, aut æquivalenter dicant, licitum esse Parocho absque ulla necessitate panem siliginem consecrare, atque populo pro Eucharistia tradere. Et tamen probabile est, quod & validè consecraret, & verum Sacramentum populo ministraret. Idem dico de medico; non enim inveniuntur tot, qui dicant licitum esse medico, pharmacum probabilius periculosum, & solum minus probabiliter proficuum præscribere, quando adest aliud pharmacum tutum & æquè probabiliter proficuum, ac illud periculosum. Hæc enim & alia hisce similia tam apertè repugnant lumini naturæ, ut incredibile prorsus sit, multitudinem gravium Doctorum unquam potuisse in tales assertiones conspirare. Itaque errare videtur Celladeus, & incredibilia dicere, dum affirmat *hic §. 1. Alios, maxime Recentiores, respuisse limitationes omnes, ac universalissimè docuisse, probabile ubiq; esse regulam morum.* Peto enim ut catalogum horum proferat, & loca citet, in quibus ita loquantur. Certè si unum vel alterum casuum Collectorem, talia loquentem ostenderit, (& vix credo ullum esse, qui aliquam restrictionem aut expressè non apponat, aut certè de quo ex contextu, materia, modo, ac fine disputationis non appareat, eum non de omnibus etiam speculativè tantum probabilibus promiscuè loqui, sed ad aliquod certum genus probabiliū assertionem suam restringere)

Q3

ultra

ultra progredi non poterit. Hoc autem satis non est, ut peculiarem seu potius singularem illorum opinionem proponat, tamquam sententiam valde communem, ab antiquis, & potissimè à Recentioribus traditam. At hoc modo eam proponit Celladeus loco citato. Ergo in hoc erravit.

12. Adde. Recentiores potissimè exceptiones, si ita loqui velimus, apponere, atque universalitatem probabilium restringere, eaque in suas classes distribuere, atque de his affirmare, de illis negare, usum eorum esse licitum. Quod si aliqui universaliter loquantur, intelligendi sunt juxta subjectam materiam de probabilitate practica, aut de speculativa, quæ cum practica probabilitate necessariò connectitur. Sic probabile est, artificiosam delineationem non esse opus servile, sed liberale. Hæc, ut jacet, est probabilitas speculativa, sed necessariò connectitur cum probabilitate practica, quia certum est, sola opera servilia esse prohibita in die Festo. Ergo tam certum est, talem delineationem non esse prohibitam, quam certum est, quod illa non sit opus servile. Sed est probabile quod non sit prohibita. Ecce probabilitas practica ex speculativa illa deducitur. Jam Auctores universaliter loquentes ex subjecta materia intelliguntur de hujusmodi tantum probabilibus agere; nec rationabiliter extendi possunt, ut censentur dicere, Nullam prorsus limitationem admittendam esse, sed, universalsimè loquendo, probabile ubique esse regulam morum.

ASSERTIO IV.

Exemplum judicis ad præcipuum Celladei intentum non conducit, sed efficaciter illud evertit.

EXEMPLUM 13. PROBATUR. Principale intentum Celladei est probare, quod usus opinionum omnium, quas, consuevimus appellare probabiles, sit illicitus. In quo ipse solus eò progressus est, ut usum etiam probabiliorum atque probabilissimarum rejiciat ut illicitum. At exemplum judicis ad hoc intentum comprobandum non conducit, sed efficaciter illud evertit. Non conducit ad id probandum, quia notorium est, quod judici liceat sequi opinionem longè probabiliorum. Rursus, id ipsum totum Celladei intentum evertit, quia si judici in foro externo liceat ferre sententiam in favorem sententiæ probabilioris, ac deinde secundum illam operari, atque jura transferre, &c. licet aliquando contingat eum decipi, & verum Dominum rebus suis spoliare; idem à fortiori nobis licebit, quoties de aliqua re oritur quæstio, an liceat? A fortiori, inquam, tum quia sumus in possessione libertatis, & in dubiis melior est conditio possidentis. Tum quia judicium conscientie non est institutum ad dirimendas & terminandas lites, sed potissimè ad prudenter & non temerè operandum, quod haud dubiè habetur, quoties in rebus incertis probabilior sententiam sequimur. Hinc fit, ut postquam ego probabilis judicaverim aliquid esse mihi permissum, non acquiratur mihi jus perpetuum ad licitè utendum tali re, sicut in foro externo per sententiam judicis; nam si postea major illa probabilitas definat, casus mutatur, & ego non sum jam melioris conditionis, eò quod antea major probabilitas mihi favorit. Omnia autem

contrario modo se habent in foro externo. Unde à fortiori licet sequi talem sententiam in foro consequentia, si liceat eam sequi in foro externo. Demum in foro externo agimus contra proximum, qui magnum incommodum patitur, si perpetuò privetur re sua; ideoque ille non contentus est, si ego bonâ fide procedam, quia fides mea bona non impedit ipsius nocumentum, ut patet. Unde meritò exigit, ut lis legitimè terminetur per judicem neutri parti partialem, &c. At in foro interno directè agimus cum Deo, qui cor intuetur, nec damnium ullum patitur, eò quod in sententia ferenda erremus. Immo, quod plus est, etiam tunc habet intentum suum, nempe ut ametur. colatur, & glorificetur. Hæc enim omnia habentur & Deo tribuuntur, quoties post diligentem veritatis indagacionem formamus conscientiam juxta partem probabiliorum, & bona fide procedimus, nullatenus ita facturi, ne Deum offenderemus, nisi certò nobis constaret, nos ex prudenti judicio de honestate operis & beneplacito Dei ad opus progredi. Itaque haud dubiè à fortiori ea licent in interno conscientie judicio, quæ in externo judicio sunt certò præmissa. Sed certò permissum est Judici secundum probabiliorum partem judicare. Ergo & hoc nobis certò permissum est in foro interno.

14. Hoc autem ad totum benignæ sententiæ intentum sufficit, quia quoties pars minus tuta est directè certò probabilis, toties eadem indirectè ac reflexè, omnibus omnino in examen adductis, est & quoad se, & maxime quoad nos longè probabilior parte contraria, ut fusè demonstravi hinc quæst. 2. atque etiam quæst. 22. & 23. de Consc. prob. Ergo tunc etiam licet sententiam in favorem libertatis proferre, atque secundum eam operari. Qui plura de hoc argumento cupit, legat quæst. 24. de Consc. prob. ubi omnia ista, & alia quamplurima ad hanc materiam spectantia discussa, declarata ac firmiter probata inveniet.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

15. **OBJICIT** primò. Finis Judicis & judicii est, ut unusquisque reipsâ habeat quod suum est, vel ad se pertinet. Judex ergo ligatus est uni parti, sicut jus ipsum. Atque hinc est primò, quod Judex licet non possit pro arbitratu sequi in judicio quamlibet ex partibus contrariis probabilibus; quia exercitium judicis nequit magis extendi, quam finis, cujus gratia judicium exercet; in quo enim suum finem egreditur, agit contra officium, & supra potestatem suam. Jam probabilitas magis extenditur quam jus ipsum, & finis judicii; quia probabilitas æquè complectitur utramque partem, jus autem uni soli competit. Ergo Judex judicans ex motivo æqualiter magisve favente parti, quam condemnat, agit contra officium & finem suum, suamque potestatem transgreditur, & peccat. Secundò ex eodem sequitur, quod Aristoteles 1. Rhetoricor. 15. tradit; scilicet, Judicem esse quasi auri argenti que cognitorem, ut verè justum ab adulterato distinguat. Est autem jus adulteratum, quodvis jus à qualibet opinione falsa, etsi apparentissima, representatum. Ergo judices tenentur verè justum dignoscere, & distinguere. Et sanè sicut pessimi forent monetarum cognitores, qui adulteratas pro veris monetis probarent; ita pessimi forent Judices, qui justum ipsum non distinguerent, sed in judicio falsis opinionibus, & juri adulterato contra verum jus adhererent.

Atque

Quod licet
Judici in
foro exte-
no à fortio-
ri nobis li-
cet in foro
interno.

Exemplum
Judicis pro-
bat totum in-
tentum no-
strum.

Finis Judi-
cis poluit,
ut probabi-
lora sectetur.

Judex debet
imitari pe-
cuniaz co-
gnitorem.

Atque hinc est 3. quod nemo sit Judex idoneus, qui jurisprudentia non sit peritissimus, quia solus talis potest verum jus discernere. Unde Exodi 18. Jethro persuasit Moyfi dicens: *Provide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, &c. qui judicent populum omni tempore, &c. qui tuis auditis Moyses fecit omnia, quae ille suggererat.* Et tales debent esse Judices, qui diligentissime debent causam examinare, ut sic veritatem ipsam inveniant. Deuteronomii 19. 18. haec de Judicibus traduntur. *Cumq; diligentissime perscrutantes invenerint falsum resem, &c. Similiter Job cap. 20. 16. de se dicit: causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.* Unde Judex tenetur ad verè justum, ad jus re ipsa, & ad veritatem. Quin & in communibus opinionibus alligatus est vero. Exodi 23. vers. 2. haec habentur. *Nec in judicio plurimorum acquiesces sententia, ut à vero devies.* Judex ergo tenetur saltem plerumque nosse ipsum re ipsa jus, & verè justum ab adulterato discernere. Ita Celladeus §. 2. ex quo videtur inferri posse in favorem Celladei, quod Judici non liceat sequi opinionem ne quidem probabiliorum, sed quod teneatur ipsum justum nosse. Hoc autem admissio, exemplum Judicis non videtur esse contra ipsum, quia dici potest, quod Judex teneatur ad ipsum verum: ac proinde quod debeat causam differre, donec ipsum verum invenerit. Hoc stante, idem videtur dicendum in foro conscientiae, scilicet quod nemo impleat officium suum, nec rectè operetur, si opinionibus suis, veritatem non assequatur. Haec dici possunt in favorem Celladei. Et sanè haec ipsa consentanea videntur intento & doctrinae ipsius.

Respondeo primam partem objectionis satis benè probare, quod judici in judicando non liceat sequi nisi partem probabiliorum. Ego autem ideo omisi recensere hanc probationem inter reliqua Celladei argumenta, quia ille omnia allata simul adducit, tanquam quaedam fini judicis annexa, quae simul sumpta convincant talem libertatem in judice esse illicitam. Verum quia in collectione harum rerum multa sunt, quae limità indigent, ideo ea non admitto tanquam argumentum idoneum ad veritatem illam comprobendam.

16. In primis, ante omnia maxime displicet, quod dicit, judicem teneri ad ipsum justum, & ad ipsam veritatem, ad quam nisi pertingat, à suo munere deflectit, aberrat à fine, & malè facit. Quid enim hoc aliud est, quam reddere officium judicis hominibus importabile? Nonne in rebus incertis, quales sunt pleraeq; lites in judicium adductae, impossibile nobis est ipsam veritatem à falsitate discernere? Quomodo ergo obligari possumus ad jus verum discernendum, illudque vero Domino tribuendum? Tenetur quidem judex eniti, quantum potest, ad ipsam veritatem, ideoque tenetur causam diligenter examinare, nihilque praetermittere, quod aut leges, aut recta ratio adhibendum suadent. His peractis, si veritatem ipsam ex allegatis certò sciat, aberrat à fine suo, & peccat, nisi litem terminet, & jus suum cuique tribuat. At quando post totam litem discussionem veritas certò non constat, stultum est existimare, ipsum verum debere, aut etiam posse esse regulam judicii ferendi. In hoc enim casu veritas per se non apparet, sed per extrinseca argumenta inquiritur. Ergo ipsa per se non potest movere intellectum, sed praemissae tantum possunt illum movere ad probabiliter judicandum

de vero jure, quod per conjecturas quaeritur. Et hoc est quod communiter & verissimè dicitur, judicem in rebus incertis judicare debere secundum allegata & probata. Si illa juxta mentem judicis appareant esse majora pro una parte quam pro alia, tenetur litem adjudicare parti, cui meliores rationes favent, sive illae sint, sive non sint realiter verae; quia rationabiliter praesumuntur verae. Itaque non jus verum in se, sed solum jus ex notiorum praevaletentia in vi praesumptum, est finis judicii, à quo si judex deflectat, non implet munus suum, sed peccat. Et sanè ad eò verum est, quod veritas ex allegatis & probatis praesumpta sit regula judicis ac judicii, ut plures S. Thomam sequuti doceant, judicem debere contra jus verum ac certum sententiam proferre, atque innocentem ad mortem ipsam condemnare, quando scelus illius sufficienter probatum est in foro extermo. Huic ego sententiae non subscribo, sed solum cum illis assero, judicem, qui aliam causae notionem non habet, nisi quam ex allegatis haurit, debere absque dubio aut hesitatione juxta allegata & probata praevaletentia sententiam proferre, quamvis haud certò sciat, cui jus verum & directum competat.

17. Nihilominus in hoc casu non deest jus certum certoque existens, à quo judex ad judicandum impellitur, & à quo, si recederet, à reecta muneris sui administratione deficeret. Hoc est jus non acquisitum, quia de illo lis vertitur, sed naturale reflexum, quod singuli litigantes habent adversus judicem & se invicem; scilicet ut judex sententiam ferat in favorem ejus, cujus rationes praevaletentia judicat. Ideo enim litigant coram judice, ut per illius judicium lites terminentur, & ille praefertur, cui meliores rationes favent. Jam ab hoc jure indubitato tanquam à motivo formali justitia judicis dependet, quia in illud respiciens, juxta illud, ejusque exigentiam jus suum unicuique tribuit. Et quia jus acquisitum, de quo litigabatur, non est liquidum, per suam sententiam efficit, ut illud jam certò acquiratur, de quo antea certum non erat quod esset acquisitum. Qui plura velit de hoc argumento, quod est unicum ac genuinum principium, ex quo quaestio de obligatione judicis determinari debet, legat quaest. 24. de Consec. prob. num. 4. ubi illud exposui ac declaravi.

18. Rursus non placet quod Celladeus insinuat, judicem aut nunquam, aut rarissime debere errare in jure dicendo, ut officium suum impleat; hoc enim absque dubio falsum est; quamvis enim nullae fraudes unquam fierent, sed rationes utriusque partis sincerè proponerentur, adhuc Judex frequenter judicans non raro erraret, non solum quia multa falsa sunt probabiliora veris, sed etiam quia quae ipsi videntur, saepe non sunt probabiliora, cum aliis aequè aut magis peritis videantur esse minus probabilia. Ergo fieri nequit, quin frequenter erret, etsi nullae fraudes intervenirent. Verum quoties interveniunt fraudes? Saepè falsi testes subrogantur. Aliquando veri testes praemetu apparere non audent. Multi audent instrumenta legitima modò abscondere, modò adulterare, aut etiam comburere, & alia falsa eorum loco substituere. Demum optimi quique caudicis potentium causas defendunt; pauperes, quibus jus saepe competit, non habent qui causas ipsorum sufficienter explicent ac tueantur. Interim Judex secundum allegata & probata sententiam profert. Quae omnia planè convincunt, quod Judex frequenter à vero aberrat.

Regula judicis non est ipsam veritatem, de qua litigatur.

Regula judicis non est veritas, sed veritas apparens juxta allegata & probata.

Prima regula judicis est jus certum partibus competens.

Judex rite fungitur officio et si frequenter erret.

Quod etiam ex eo patet, quod secundus iudex frequenter prioris sententiam rescindat.

In criminalibus iudicibus non raro errant.

19. Hæc ita se habent in civilibus, & quod est intolerabilis (sunt verba Augustini lib. 7. de Civit. Dei cap. 6. à Cellæo hic ad alium finem citata) magis, plangendum, rigandumque, si fieri posset, fontibus lacrymarum, ne occidat nesciens innocentem, si per ignorantiam miseriam, ut & tortum innocentem occidat, quem, ne innocentem occideret, torserat. Ecce iudex criminalis aliquando torquet accusatum, ut ipsemet crimen suum fateatur, ne forte si aliorum testimonio tantum flet, innocentem occidat. Interim innocens, torturæ impatiens, ut se tormento liberet, crimen fatetur, unde fit, ut iudex, post torturam, innocentem condemnet, quem ideo torserat, ne innocentem occideret. Ecce ubique, etiam in criminalibus, in quibus plena probatio requiritur, nimis frequenter erratur. Nec tamen ideo iudex peccat, sed debite fungitur officio suo, ut patet. Ex his constat, iudicem in sententia ferenda de acquisito partium iure frequenter errare, quo non obstante, certum etiam est, quod si debitam diligentiam adhibeat, non solum non peccet, sed laudabiliter & honeste operetur. Itaque exemplum iudicis totum Cellæi intentum evertit.

Non est idoneus monetarum cognitor, qui vram monetam ab adulterata certo non discernit.

20. Porro comparatio illa Aristotelis inter iudicem & monetarum cognitionem, ita admittenda est quoad aliqua, ut in præcipuo, quod Cellæus intendit, admitti nequeat. Non est bonus Monetarum discretor, qui nequit adulteratum à vero discernere, quia ille semper habet præmanibus & oculis ea omnia, per quæ verum à falso certo discerni potest. Accidentia enim, quibus veræ à falsis monetis discriminantur, semper adsunt, nec instrumenta ad omnia debite examinanda defunt. Ex his autem natura veræ, vel adulteratæ pecuniæ certo eruitur. Ergo qui in hoc errat, ad tale officium idoneus non est, quia nescit ea, ex quibus iudicium formari debet, quæque sciri possunt & debent ab eo, qui tale munus acceptat. Hæc & hinc similia in causarum iudice locum habere nequeunt, quia plerumque nulla sunt iudicia, ex quibus veritas causæ certo dignosci possit. Ergo quamvis sit malus monetæ cognitor, qui examine facto errat, non tamen est malus causarum cognitor aut iudex, qui in dicendo ac discernendo iure errat; quia nec habet, nec habere potest indicia certo connexa cum veritate rei. Ergo regulari debet conjecturis & rationibus fallibilibus. Ergo si faciat quod in se est, & rationes prævalentiores sequatur, non culpandus est, sed laudandus, quamvis præter spem in sententia dicenda à vero aberret.

Judicia differri donec veritas certo innoscatur, fini iudiciorum repugnat.

21. Demum iudicem obligari ad differendam sententiam, donec veritas certo innoscatur, omnium iudiciorum fini clarissime repugnat. Hoc enim semel admissum, lites essent perpetuæ, veritas enim, aut nunquam, aut vix unquam certo sciri potest. Porro ex hac lites interminabilitate, sequeretur veros Dominos irremediabiliter carere suis iuribus ac bonis, quia sicut nullum habent medium ad sua iura demonstranda, sic nullum haberent remedium, quo finita lite sua bona acquirerent. Hoc autem est prorsus absurdum, & contra finem iudiciorum ac litium, totiusque iustitiæ, ut patet. Et sanè licet iustum sit, causarum revisionibus nonnunquam locum dari, id tamen nec passim, nec frequenter permittitur, quia sic lites perpetuarentur. Unde satius esset, si in singulis Tribunalibus certum temporis spatium deputaretur, post quod iudices tenerentur juxta

allegata & probata sententiam proferre, ut sic lites cum minoribus expensis majorique reipublicæ tranquillitate citò terminarentur. Lugendum enim est, videre pauperes, partis adversæ subtilitatibus, novisque prætextibus allegationibus cogi ad prosequendam litem, quam certo vincerent, si ad sententiæ probationem citò veniretur. Hac ratione sæpe fit, ut integræ familiæ, ad miseriam redactæ, suis bonis ad integras generationes priventur. Quod certe incongruum est, & iudiciorum atque iustitiæ fini prorsus contrarium. Stat ergo iudicia terminanda esse per probabiliores conjecturas, nec frustra ac imprudenter expectandum, ut veritas certo innoscatur, cum raro aut nunquam adsit, vel levis spes veritatem certo inveniendi. Itaque exemplum iudicis ad principale Cellæi intentum nil conducit, sed è contra illud efficaciter evertit.

22. Objicit secundò. Si iudex in iudicando frequenter errans, non obstante errore, munus suum rectè implet, melius esset, si litium decisiones sortibus tribuerentur. Sic enim minoribus expensis omnia transigerentur, & unusquisque æquè suo iure fuere.

Respondeo, Iudices, etsi frequenter errant, longè tamen sapius non errare, quando, causâ debite examinata, probabiliora sequuti, sincerè sententiam proferunt. Unde longè major spes potiundi iuris affolget, si lites iudicis, quam si sortibus terminentur. Deinde etsi par aut fere par utrobique spes esset juris potiundi, sive lites per sortes, sive per iudicia terminarentur, non tamen expediret reipublicæ humanæ, ut, neglectis iudicis, sortes adhiberentur. Ratio est, quia rationabilis non fortuita decisio hominem rationalem decet. Præterea unusquisque plerumque putat, se habere rationes longè prævalentes adversario, qui proinde suam causam sortibus libenter non committit. At eam in iudicio probi iudicis libentissime deponit. Iustum autem est, ut in hac parte litigantium voluntati satisfiat, quia tota causa ipsorum tantum interest, ut patet. Rursum neque conveniens est reipublicæ, ut similia per sortes terminentur, quia sic omnia cæco modo administrarentur, & sagaciores, atque astutiores minùs sapientes bonis suis sub specioso juris titulo facillimè privarent. Illi enim facillimè invenirent rationes, quibus aliorum jus in dubium revocarent, unde statim contenderent, de bonis ac iuribus illorum sortes mittendas, per quas sæpe aliorum bona fucato juris prætextu sibi vindicarent. Dedeceat autem reipublicam tali periculo pauperes ac idiotas exponere, quo certè liberantur, si iura non nisi per iudicia diligenter pertracta transferantur. Præterea, leges jubentes dubia de iuribus exorta per sortes terminari, non solum essent noxiæ iis, qui legitimo iure sua possiderent, sed etiam præscriberent remedium, quod absque ipso malo, pro quo evitandum instituerentur, administrari non posset; Iudices enim necessarii essent ad determinandum, an res per sortes terminari deberet; nam non omne dubium debet si ficere, ut possessor sua deserat, atque ea ad sortes mittat. Præterea, etsi dubium exurgat, sæpe tamen dubium ex una parte est maximum, ex altera prorsus exiguum. Annè tunc etiam ex æquo per sortes lites terminanda? hoc stultissimum foret. Ergo qualitas dubii, & utriusque magnitudo sciri ac legitime iudicari debet. Ecce totum inconveniens, quod ex iudicio de iuribus imminet, absque remedio iterum redit in iudicio de dubio ejusque magnitudine. Ergo melius

Objicito.

Inconveniens esset, si lites sortibus terminarentur.

lius est ut iudicium feratur de ipsis iuribus. Imo hoc adeo necesse est, ut sine iudicis illis fallacibus, quibus nos homines propter ignorantiam utimur, republica debite administrari non possit.

SOLVUNTUR ALIÆ OBJECTIONES.

23. **O**BJICIT tertio. Non est cur non liceat iudici aut medico sectari opinionem minus probabilem, si usus opinionis minus probabilis ulli sit licitus. Rationes communiter allatae sunt istiusmodi. Prudens assensus reperitur in omni iudicio probabili. Opinio probabilis impedit quò minus lex sufficienter promulgetur. In omni materia prudenter peritis creditur. Certitudinem, & plus quam probabile ac prudens iudicium requiri in moralibus est absurdum, & vires humanis excedit. Prudentis est sectari probabilia. Hæc & hisce similia æquè valent in omni prorsus materia, ac in opinione probabili. Ergo vel universalissimus, vel nullus probabilium usus est licitus. Ita Cellædeus §. 3.

Respondet, objectionem manifestè confundere probabilitatem practicam cum speculativa. Hæc nullo modo facit, ut lex sit vel non sit sufficienter promulgata; v. g. quæritur an existat lex præcipiens, ne Eucharistia absque necessitate ex materia incerta conficiatur? sententia asserens filiginem esse validè consecrabilem est probabilis, & qui illi præbet assensum prudenter facit. Verùm hæc probabilitas nihil facit circa promulgationem legis quæsitæ, quia lex illa æquè promulgata est, sive existat, sive non existat dicta probabilitas, ut patet. At si esset probabile, quod consecratio talis materię esset licita, illa probabilitas haud dubiè esset, ne lex illa esset sufficienter promulgata, cum post omnem diligentiam prudenter crederetur non existere. Uno verbo sola probabilitas de non lege efficit, ut lex sufficienter promulgata non sit: alia enim probabilitates ad hoc impertinenter se habent, nisi sint tales, ut ex illis probabilitas de non lege legitime inferatur. Jam etsi omne illud, quod à quavis opinione probabili asseritur, prudenter credatur, non tamen omnis probabilitas aut omne prudens iudicium ad conscientiam debite formandam conducit, sed illud solum, quod asserit rem esse licitam. Itaque cum non sit probabile, quod liceat iudici iudicare secundum opinionem minus probabilem, aut medico præscribere medicinam probabilis nocituram, nec iudici licet ita iudicare, nec medico talem medicinam præscribere. Ecce nulla est illatio argumenti, quam tamen Cellædeus inevitabilem esse putat.

24. **O**BJICIT quarto. In foro exteriori solum tractatur de rebus parvi momenti, & leges humanæ præcipue explicantur. At in foro conscientie de summa rerum agitur, & de anima nostra, ac leges potissimum divinæ tractantur. Ergo absurdum est, requirere certiore regulam pro rebus nostris & foro externo, quam pro anima nostra, & foro conscientie. In rebus vilibus ponderandis non curamus libram esse exactissimam; at pro auro ponderando non nisi minutissima & exactissima trutinam contenti sumus. Itaque absurdum est, plus certitudinis velle pro foro exteriori, quam pro foro conscientie. Ita Cellædeus §. 3.

Respondet, nos non requirere certiore regulam pro foro exteriori, quam pro foro conscientie. Pro foro externo dicimus, iudicem in

judicando debere sequi opinionem, quam omnibus inspectis credit esse veram, aut oppositam probabiliorem, quia ad eò certum est, cum ad hoc obligari, ut oppositum non sit probabile. Similiter pro foro interno requirimus, ut operans nil faciat, nisi omnibus inspectis credat illud esse licitum, & opposito probabilius. Verùm Cellædeus confundit probabilitatem directam, seu in uno genere sumptam, cum probabilitate indirecta & reflexa, seu cum probabilitate omnimoda, quam si distinxisset, clarè vidisset nos nil minus exigere in iudicio interno conscientie, quam in iudicio fori exterioris. In hoc autem consistit disparitas, quod rationes reflexæ non augeant probabilitatem directam litigantibus faventem, juxta quam iudex tenetur ferre sententiam. At quando res est directè probabilis practicè, rationes indirectæ & reflexæ non solum augent ejus probabilitatem, sed omnibus inspectis, reddunt honestatem operis non solum probabilissimam, sed etiam quodammodo moraliter certam, ut fusè ostendi in tract. de Consc. prob. quæst. 22. & 23. & alibi sæpissimè, atque in hoc etiam opere ubique convinco. Itaque falsum est, quod plus exigamus pro iudicio exteriori, quam pro iudicio conscientie; imo verò pro hac longè plus requirimus; non enim solum requirimus iudicium prudens de honestate rei, sicut in foro exteriori requirimus in iudice iudicium, quo prudenter credat rem ad illum, cui litem adjudicat, pertinere; sed post hoc iudicium prudens postulamus novam consultationem fieri, per quam intellectus confurgat ad formandum iudicium certum & evidens de honestate suæ operationis. Hoc autem non requiritur pro iudicio fori exteriori, cum nulla dentur principia, ex quibus iudex certò scire possit, rem ad ullum ex litigantibus pertinere. Itaque longè plus pro conscientia formanda, quam pro ullis aliis negotiis peragendis postulamus.

25. **O**BJICIT quinto. Plures ponunt hoc tamquam discrimen notorium, quod quando agitur de licito & non licito, qui sequitur opinionem minus probabilem non peccat, si nullum aliud malum præter periculum materialis violationis legum immineat. At quando malum aliud imminet, tunc non licet sequi opinionem minus probabilem. Hinc autem non licet iudici ferre sententiam, nec medico præscribere medicinam secundum opinionem minus tutam, minusque probabilem. Unde inferunt discrimen inter iudices, medicos, aliosque; illosque cogunt ad probabilia aut tutiora, hos autem liberos esse contendunt ad sectanda minus tuta, minusque probabilia. Verùm hæc disparitas non subsistit; quia si violatio materialis legis non imputatur illi, qui sequitur opinionem minus probabilem minusque tutam, non est cur iudici sequenti opinionem minus probabilem imputari debeat, quòd pars condemnata damnum patiatur in bonis; quia iudex probabilia secutus, prudenter se gessit. Rursus maxima pars moralis Theologiæ versatur in materia iustitiæ commutativæ vel distributivæ. Ergo in tota illa materia non licebit sequi opinionem minus probabilem, vel id etiam iudici licebit. Ergo in illa tenentur ad ipsum iustum, sicut iudices. Ita Cellædeus §. 3.

Respondet, hanc objectionem ita proponi, ac si proponens illam, nesciret quid Auctores benignæ sententiæ teneant. Illi enim ubique indagant probabilitatem practicam pro conscientie regula; ubi illam inveniunt, habent, ubi non inveniunt

Non minus, sed plus requiritur pro foro interno, quam pro exteriori.

Objectio 7.

Qui respiciunt ad certum tertium, non limitant, sed explicat benignam sententiam.

inveniunt, non habent sufficientem conscientiam recte formandae regulam. Hoc posito, dicunt, quando magnum damnum tertii ex una, & nullo ex alia contradictionis parte imminet, non habemus fundamentum dicendi partem periculosam esse licitam, seu practice probabilem, quia lex charitatis, item illud axioma, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, & alia ejusmodi convincunt, partem illam periculosam non esse licitam; E contra vero dicimus, quod quando probabile est aliquid esse licitum, eo ipso id licitum evadit illi, qui bona fide prudentique judicio format suam conscientiam, nec merum periculum violationis materialis posse obstare; ed quod violatio illa nec noceat Deo, nec Deum inhonoret, quia operans optime erga Deum afficitur, & ex prudenti judicio de placito divino ad operandum illique complacendum movetur. Quid hic carpatur, quid hic inconsequentia sit, lyceus erit Celladeus, si detexerit. Itaque quod imminet periculum gravis mali, &c. non est exceptio doctrinae, sed solum indicium seu argumentum, quod desit probabilitas practica, seu quod pars illa non sit probabiliter licita, quamvis probabilitate speculativa non careat. Ideo ergo medici, chirurgi, ac judices tenentur ad tutiora vel probabiliora, quia periculum imminens, sed facile evitabile efficit, ne altera pars sit practice probabilis. Hinc autem sequitur, materialem legis violationem imputari non posse illi, qui bona ac prudenti fide credit nullam talem violationem futuram, sed se Deo in suo opere placiturum. At medico & judici damnum imputari posset, quia licet opinio minus probabilis esset speculativè probabilis, non tamen erat illis practice probabilis, nec poterant formare sibi prudens dictamen, quo crederent licitum sibi esse sic judicare, aut talem medicinam praescribere; quia si tale dictamen formarent, aequè excusarentur ac alii. Temerè ergo & imprudenter agunt, qui solam probabilitatem speculativam sine practica pro formanda conscientia adhibent.

In materia
justitiae non
semper tenemur
ad probabilitatem.

26. Caterum patentior latet error in ultimo, quod Celladeus addit de materia justitiae; quasi vero nemini in ea liceret sequi opinionem aequè aut minus probabilem, ed quod judici in judicando eam sequi non liceat. Quid, ais, Celladeus? Teneurne Possessor bonae fidei, orto dubio utrumque aequè probabili de jure rei possessae, teneurne, inquam, se sponte privare re illa, aut seipsum condemnare, ed quod judex in judicando sequi non possit opinionem minus vel aequè probabilem? Communis omnium sensus est in contrarium. Nec mirum: aliud est officium judicis constituti ad lites dirimendas & jus inter litigantes constituendum: aliud possessoris, aut cujusvis alterius se ac sua jura defendentis. Unde licet officium Judicis postulet, ut sequatur probabiliora, officium tamen possessoris aut alterius sua jura defendentis id non postulat, nec aliud postulare potest, quam ut bona fide procedens nil agat, nisi quod prudenter credit esse honestum. Hoc si praestet, Deum non offendet; ut autem tale judicium eliciat, pauciora requiruntur, quam ut judex simile judicium formet de obligatione quam habet ad ferendam sententiam, ut patet, & ut explicui *quest. 24. de Consc. prob.* Demum illud ultimum, scilicet, quod in rebus justitiae tam judex quam alii teneantur ad ipsum justam, est prorsus impossibile in casu disputationis praesentis; loquimur enim, quando ipsum jus ita latet, ut certè sciri non possit, nec nisi

per conjecturas probabiles cognosci. Unde Judex satisfacit suo muneri, licet erret, modò sequutus fuerit, quae ipsi probabiliora sunt visa; quia ad hoc solum ex officio obligatur. Alii vero ne quidem ad hoc tenentur, sed sufficit illis, si in rebus incertis nil temere agant, sed prudenti aliquo judicio sua jura tueantur, sive judicium illud fundetur in ipso justo, sive in titulo possessionis, sive in aliis praesumptionibus, quae indubitatum probabilitatem practicam de honestate talis defensionis fundant.

27. Objicit sextò. Judex ex imperio voluntatis flexere potest suum intellectum ad assensum praestandum parti minus probabili. In hoc casu prudenter credit jus illi favere, qui habet rationes minus probabiles. Ergo licitè potest sequi opinionem minus probabilem, quia fungitur officio suo, si externam sententiam interno suo judicio conformet. Ita objici potest, ad ostendendum quod vel nullus, vel univèrsalissimus probabilitatis usus liceat. Et Celladeus § 2. utitur hoc argumento ad hominem, ut probet Judices fore arbitros, si illis liceret sequi opinionem quamvis etiam minus probabilem.

Respondeo, Judicem flexere posse intellectum ad tale judicium, quando motiva in actu primo ipsum impellentia non evidentè se invicem absolute excedunt; in tali enim casu errare potest Judex, ac per voluntatis imperium in actu secundo praefere motiva verè minoribus, ac credere illud esse verum, pro quo in actu primo minorem stimulum habebat. Verum in eo casu ipse in actu secundo putat partem, quam veram judicat, esse multò probabiliorem oppositâ, quia unicuique suum opinatum probabilius est, ut patet. Itaque in illo casu non solum licitè potest, sed etiam tenetur sententiam proferre pro parte illa, quae verè in actu primo erat minus probabilis, sed tamen quae ex errore invincibili ab illo in actu secundo reputatur verâ & probabilior oppositâ. Neque absurdum est, sententiam hoc modo esse in arbitrio judicis, imò oppositum esset prorsus absurdissimum. Absurdum autem esset, si ille proferre posset sententiam pro quacumque opinione probabili, quam vellet, et si ille eam aut minus aut aequè probabilem reputaret, quia stante tali judicio, non potest credere partem illam esse absolute veram; quod enim creditur verum, eo ipso habetur tamquam probabilius oppositò. Unde peccaret, si pro tali probabili sententiam ferret, quia ferret pro ea parte, quam nec absolute veram crederet, nec verosimiliorem parte, quam condemnat; quod est absurdum, officioque judicis repugnat.

28. Objicit septimò. Est indubitatum principium apud Theologos, judicium utriusque fori, externi scilicet seu contentiosi, & interni seu conscientiae, debere esse idem, si error vel ignorantia non interveniat; nec ulla est exceptio nisi in illis, quae in jure civili tolerat solum, sed non probat Ecclesia. Si enim eadem planè in utroque foro consent, una debet esse utriusque fori sententia; aliter una erit justa, injusta altera; una erit vera, altera falsa; una iuxta, alia contra rectam rationem; quia idem (ut notatur *1. magnor. Moral. cap. 32.*) est ratio, & recta ratio; rectitudo enim rationis est veritas. Hoc autem posito, sic arguitur. Non licet judici in judicando sequi quamcumque opinionem probabilem. Ergo neque confessario, neque consultori conscientiae, saltem in materia justitiae. Praeterea debitor in judicio convenitur, & per sententiam judicis solvere jubetur.

jubetur. Ille, si restituat, magnam passurus est necessitatem. Forum externum hanc exceptionem non admittit. Tu admittis, & liberas, est forte (nam nescis) creditor satis multum patiat. Ergo discordas à sententia fori externi. Ergo vel tu, vel iudex malè iudicat. Iudices secundum leges & iura iudicare solent. Ergo præsumptio est contra te. Quòd si adhuc dicas, iudices malè iudicare, non debes illos absolvere. Ita Celladeus §. 3. quibus putat sufficienter probari, Auctores benignæ sententiæ inconsequenter discurre, dum negant iudicibus, quod confessariis consultoribusque conscientiam concedunt.

Respondeo, auctores benignæ sententiæ non loqui inconsequenter, quia solum loquuntur de opinione certò practicè probabili; de illa autem absque ulla exceptione enunciant, quod ejus usus tam iudici, quam aliis omnibus liceat. Quod ita verum est, ut tamen pro formanda conscientia semper requirant, ut sequamur partem, omnibus inspectis, probabiliorem. Unde non minus, sed plus requirunt pro formanda conscientia, quam in Iudice pro ferenda sententia, ut dictum est num. 24. Itaque sistendo intra terminos benignæ sententiæ, idem ex æquo omnibus licet. In hoc autem est æquivocatio, quod minor probabilitas speculativa de jure unius partis non sufficiat, ut probabile sit, iudici licitum esse secundum illam iudicare. At talis probabilitas sæpe reddit probabile, quòd liceat Confessario, etiam in materia iustitiæ, permittere possessori retentionem suarum rerum, donec aliter statutum fuerit per sententiam iudicis. Et hoc est quod dicimus, minorem probabilitatem speculativam de jure non sufficere ad iudicandum, cum tamen pro foro interno ad conscientiam regulandam sæpe sufficiat.

29. Cæterum potissimus error Celladei in eo consistit, quòd supponat juxta nostram sententiam, sæpe contingere, iudicium fori interni & externi discrepare, quando eorundem utrobique circumstantiæ se produunt, etiam tunc quando utrumque forum rectè, & ut oportet, iudicat. Verum aucter dico, hoc nunquam contingere in sensu, quem argumentum præfert. Forum externum præsumit, debitorem posse solvere, nec admittit illius attestatorem, etiam juramento confirmatam, de præsentis sua impotentia absque suarum fortunarum ruina, &c. Talis enim attestatio fidem non facit in foro externo. At plenissimam facit in foro interno. Hinc est, quòd forum externum absolutè declarat solvendum esse sine mora; At forum internum dilationem ad aliquod tempus admittit. Verum circumstantiæ utriusque fori non sunt similes, sed ex altera parte error & ignorantia intervenit. Ergo sententia utriusque fori non potest esse una. Jam ut argumentum valeret, deberet ostendi, aut quod forum externum hunc modum procedendi in foro interno reprobat ut illicitum, aut quod forum externum, iustè iudicans jubeat restitutionem fieri ex tempore, etiam cum totali ruina debitoris, quamvis certò sciat, illum absque totali suarum facultatum ruina non posse solvere de præsentis, stante spe aut etiam certitudine, quòd paulò post citra tantum incommodum restituere poterit. Nisi enim hoc ostendatur, nonquam probabitur, forum internum in eisdem circumstantiis discrepare à foro externo, modò utrumque forum rectè procedat.

30. Verum quidem est, leges absolutè præcipere restitutionem, & in ejus defectum aliquan-

do publicationem honorum, aut debitoris incarcerationem præscribere; nisi enim leges hoc modo procederent, sed fides daretur debitori suam inopiam prætendenti, innumera fraudes committerentur, per quas Domini suis rebus privarentur; cui inconveniènter aliter obviari non potest, quam per legum severitatem absolutè condemnantium ad solutionem. Cæterum nullus prudens superior fecisset talem constitutionem pro peculiari persona in hac determinata circumstantia, in qua constaret, solutionem hic & nunc fieri non posse citra totalem debitoris ruinam; cum omnibus commodè satisfieri posset, si creditor parùm expectaret. Certè talis constitutio impia esset & inhumana, & illi axiomati: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; repugnaret. Itaque leges illæ universales, si in omni casu cum summo rigore sumantur, haud dubiè peccant, & ab æquitate naturali deflectunt; ac proinde per epikiam corrigi debent, spectat autem ad confessarium hanc epikiam in foro interno declarare, quia in re nec legislatorum, nec iustè iudicum intentioni contradicit.

31. Et hoc quidem verum est, quando peccatum legis est evidens; at quando legis exorbitantia in tali casu est hinc inde probabilis, tunc fieri poterit, ut iudicium fori interni discrepet à iudicio fori externi, absque eo quòd alterum illorum iudiciorum sit injustum, & peccaminosum. Ratio est, quia sicut diversi iudices fori externi in talibus circumstantiis sæpe ab invicem discrepant, absque eo quòd ullus illorum à munere suo turpiter deflectat; ita à potiori idem contingere poterit in diversis foris, quia scilicet ex una parte error aut ignorantia invincibilis circa qualitatem motivorum intervenit, ideoque fit, ut uterque rectè iudicare possit. Nulla ergo est illatio Celladei oppositum inferentis, quasi verò iudicia utriusque fori non possent differre, nisi iudex alterius turpiter erraret, & verè peccaret.

32. Hinc sequitur, aliam etiam Celladei illationem esse nullam; ait enim, confessarios non debere absolvere iudices, si eos in suo iudicio errare existiment, sed malè. Fieri enim potest, ut uterque rectè iudicet; munusque suum impleat, quamvis alter illorum materialiter erret. Cur ergo Confessarius talem iudicem non absolvat? Certè tam iudex ipse, quam confessarius nosse possunt, nullum in tali iudiciorum diversitate peccatum aut turpitudinem intervenisse. Nulla ergo est etiam hæc Celladei illatio.

33. Demum locus ex 1. Magn. Moral. cap. 32. Ratio, logicè falsa, multipliciter potest esse recta ethicè. non est ad rem, quia Aristoteles ibi agit de veracitate, quæ inter dissimulationem & iactationem media versatur, & consistit in oratione externa, quæ interno iudicio conformatur. *Gloriosus, inquit, plura quam adsint sibi arrogat; aut sive fingit, qua non noverit. Huic contrarius dissimulator pauciora & minor sua esse simulans, quæque novit difficitur, occultatque quæ cognoscit. Neutrum horum facit verus: neque enim plura, neque pauciora, quam qua sibi affuerint, confinget; sed ea demum & esse sibi, & sive dicit, qua teneat.* Aliud loco citato de veritate non dicit Philosophus. Ex quibus habemus, tantum abesse, ut Aristoteles hoc loco dixerit, solam veritatem logicam (de hac enim sola Celladeus loquitur) esse rectitudinem rationis, ut apertè indicet rationem sæpe esse rectam, immo & ethicè loquendo, absolutè veram, quamvis sit logicè falsa. Sicut enim hoc loco aliud non reprehendit in glorioso & simulatore, quam mendacium voluntariè confictum, ita his opponit

Leges tamè externe absolute precipiunt reformatione.

Sed peccant & per epikiam corrigi debent.

Judicia dantur pluribus foris, quando licet discrepant in eisdem circumstantiis.

Alia Celladei illatio nulla.

Ratio, logicè falsa, multipliciter potest esse recta ethicè.

Obsequentia nostræ doctrinæ ostenditur.

An iudicium fori interni sit reparabile à iudicio fori externi?

opponit verum, eumque ob veritatem laudat, eò quòd sermo ejus sit verus & rectus, veritate scilicet & rectitudine ethica, quæ consistit in conformitate sermonis cum judicio loquentis. Nec enim ignorare poterat, sermonem veracis sæpe esse falsum logicè. Certè homo sic errans reprehendi nequit tamquam gloriosus aut simulator, sed laudari debet ut verax. Nec mirum, quia aliud est hominem esse verum seu veracem in sensu morali, aliud eum esse verum seu veracem in sensu logico. Aristoteles agit hîc de veraci in sensu morali, in quo ratio & oratio, logicè falsa esse potest, & sæpe est ethicè recta & vera.

Philosophus nobiscum sentit. 34. Jam, sicut tam oratio quam ratio logicè falsa potest esse recta & vera per solam conformitatem cum judicio interno, ut constat ex Philosopho hîc citato; ita ex eodem alibi constat, rationem logicè falsam posse esse ethicè rectam, prout conformis est appetitui recto, & prout refertur ad regulandam operationem humanam, ut ostensum est hîc *quæst. 3.* & plura ad idem spectantia *quæst. 41.* dicenda erunt. Ex his concludo, textum hunc non solum abs re fuisse objectum, sed etiam ex illo rectè inferri, totam Philosophi doctrinam, quam de ratione recta tradit in Ethicis, esse prorsus conformem nostræ sententiæ & explicationi, quæ distinguit rationem ethicè rectam à ratione logicè recta, & asserit primam sæpe inveniri sine secunda, illamque sine hac ad rectam operationem regulandam sufficere.

Objectio 8. 35. Objicit octavo. Plures docent, judici in judicando licitum esse sequi opinionem minùs probabilem de jure litigantium. Ergo hoc ipsum est practicè probabile. Ergo hoc illi licet, vel nemini licebit sequi opinionem minùs probabilem. At hoc judici non licet. Ergo id nemini licet. Ita Celladeus §. 3.

Solutio. Respondeo juxta dicta supra num. 10. opinionem illorum Auctorum olim fuisse probabilem, & tunc licitum erat judici sententiam proferre secundùm talem opinionem; non enim peccat judex ferendo sententiam, quando bona fide ex opinione certò probabili de honestate suæ sententiæ prudenter concepta, ad eam proferendam procedit. At in eo casu prolatio sententiæ ab hujusmodi judicio regulabatur. Ergo erat licita. At nunc illa opinio non est probabilis, aut certè non est certò probabilis. Ergo jam non licet illam sequi. Cæterum si judex nostrarum rationum inficius, ob aliorum auctoritatem & argumenta, probabiliter, prudenter, ac invincibiliter putaret, sibi licitum esse secundùm opinionem minùs probabilem proferre sententiam, in ea ferenda non peccaret, nisi materialiter. Nec in hoc ulla est diversitas inter judices & alios.

SOLVITUR ULTIMA OBJECTIO,

Et multa de bello utrimque justo disputantur.

Objectio 9. 35. **O**BJICIT nonò. Si usus opinionum etiam minùs probabiliū esset universaliter licitus, liceret etiam in bello. At in illo non licet. Ergo universaliter non licet. Ergo nunquam licet. Probatur minor: si liceret sequi talem opinionem, bellum non necessitatis esset, sed voluntatis. quod & lumini rationis, & celeberrimo Augustini dicto, quod *bellum sit necessitatis, non voluntatis*, repugnat. Probatur sequela primò,

quia Princeps imperio voluntatis flexere potest intellectum in assensum partis minùs probabilis. Ergo liberum ei est opinari pro jure suo, & quidem prudenter, si motivo probabili iunatur. At cuiquam licet operari juxta suum judicium prudens. Ergo in omnibus probabiliū bellum movere erit principi voluntarium. Nec hîc sistitur illatio, sed ulterius sequitur, quòd movere bellum aut semper, aut fere semper situm sit in Principum potestate. Ratio est, quia vix unquam desunt rationes, saltem minùs probabiles pro jure suo & jure belli quod inferre moluntur. In omnibus nostri temporis bellis, inter Christianos Principes exortis, nulli unquam defuerunt Juristæ & Theologi quàmplures, qui bellum & jura bellantis dicto, & si opus sit, scripto defendunt. At tot peritorum sententiæ reddunt suum assertum probabile. Ergo nunquam desuit probabile. Sed nec unquam deerit in posterum, datâ occasione belli, quia eadem causæ permanent in futuro, ob quas Principes de præsentibus habent tot peritos, bellum suscipiendum aut suscipiendum defendentes. Nec obstat, Theologos hujus Principis ridere rationes, pro alio Principe allatas, tamquam frivolas & improbables; nam rationes illæ ipsæ graves vix sunt, & probabiles; & ipsi non minùs aliorum censuram irident ut malè fundatam, quam alii ipsorum rationes ut frivolas explodunt. Ergo nunquam deerit probabile. Tertio Principes, utpote Theologos & Jurisprudenciæ ignari, non tenentur fundamenta examinare. Ergo probabile ab extrinseco illis sufficit. Sufficit ergo si Senatores & Theologi ita dicant. At hi nunquam desunt. Demum per Auctores benignæ sententiæ non peccat, qui putat se non peccare. Ergo licet rationes Principis sint levissimæ, & Consiliiarii levissimi, si tamen illi alter videatur, hoc ipsi sufficit, ut honestè bellum inferat. At utriusque suæ rationes bonæ videntur, item & consiliiarii habentur boni, quia illos amat, nec alios expertus est. Ergo bellum quodlibet non necessitatis sed voluntatis erit. Et sanè non ita pridem, tempore Vasquis habebatur absurdum concedere bellum utrimque justum, quia ipse inferat tamquam inconveniens, dandum alioquin bellum ex utraque parte justum, quæ illatio esset absurda nisi absurditas consequentis fuisset notoria. At jam, usu probabiliū ad bella extenso, vix locus dubitandi relinquatur, quin bellum esse possit utrimque justum. Occurrente quippe jure utrimque æqualiter vel etiam inæqualiter probabili, bellum ex regula justitiæ utrimque movetur; nam tanti est justitia probabilis, quanti est ipsa justitia. Ecce quot bella & mala, quotque mutationes in statu regnorum secutæ sunt ex usu probabiliū. Ita Celladeus §. 4. & 5.

Respondeo in primis indirectè, & peto à Celladeo, an usus opinionis saltem probabilioris sufficiat, nec ne, ad bellum licitè gerendum? Si concedat, omnia, quæ objicit, ab illo solvenda sunt, vel habenda pro non absurdis; siquidem bellum erit voluntatis non necessitatis; nunquam enim desunt motiva & auctoritates, quæ Principibus eorumque consiliiariis videntur probabiliiores. Si neget (negare autem debet si consequenter loquatur) ergo frustra, & solum ad invidiam, non autem ad veritatem aut majorem argumenti vim explicat in opinione directè minùs probabili, cum cujusvis opinionis usus debuisset rejicere ut illicitum.

36. Respondeo secundò, benignam sententiam

An benigna sententia justum reddat omne bellum?

Respondeo per instantiam.

Celladeus
confundere
videtur
probabilitatem
speculativam cum
practica.

tiam nullam pati exceptionem quia solum asserit
usum opinionis certo practice probabilis esse lici-
tum: hoc autem verum est in omni materia,
etiam in bello, si aliquando contingat, bellum in
incertis esse certo probabiliter licitum. Verum
hoc discriminis est inter bellum & alia minoris
momenti, quod longe plura requirantur, ut
bellum, quam ut aliud minoris momenti evadat
probabiliter licitum. Sic minores probationes
sufficiunt, ut iudex licite condemnet aliquem in
bonis, quam ut eum mortis reum pronunciet.
Itaque Celladeus hic etiam speculativam cum practica.
Saep enim principibus adest probabilitas specula-
tiva de substantia juris, & tamen ex communi
consensu Doctorum non ideo est probabile,
quod abique ulteriori sollicitudine liceat illis bel-
lum gerere. Hac obvia sunt apud omnes nomi-
natos Theologos, qui de materia belli disputant,
neque hic sunt congerenda, quia nos de bello
non agimus, sed supponimus esse aliquas opinio-
nes, quas Theologi melioris notae, reliquique
fatentur esse certo practice probabiles, & reflexe
investigamus, an liceat illas sequi. Nos affirma-
mus, & efficaciter probamus, quia rationes nos-
trae sententiae aequae conveniunt omni materiae,
ideoque pro omni omnino materia efficaciter
concludunt. Celladeus autem ex inconvenienti-
bus hic adductis, conatur contrarium probare,
quare singula sunt examinanda.

Bellum de-
bet esse ne-
cessitatis, non
voluntatis.

37. In primis fateor cum Augustino, bellum
esse debere necessitatis, non voluntatis; quod
tamen non ita accipiendum est, ut nemo iuste
moveat bellum, nisi qui iniuste faceret, si bellum
omitteret. Neque enim ratio ulla, nec Augustini
auctoritas suadet, ut belli necessitatem in hoc
sensu intelligamus. Imo ratio, & proborum pra-
xis suadet oppositum. Ratio quidem, quia ratio
aut nunquam event, ut princeps alium princi-
pem aggredi teneatur, & si aliud non ostaret,
ipsa incertitudo eventus belli, & vires aequales
aut majores adversae partis efficiunt, ne ad bellum
gerendum teneatur, ne ad vitandum unum ma-
lum necessitetur te conjicere in periculum per-
dendi totam rempublicam. Et sane haec ratio lo-
cum habet, quando jus evidenter favet principi
bellum gesturo. Videmus enim principes non
ratio cogit ad pacem cum suis rebellibus, quos
longo bello subjugare non potuerunt. Poterant
autem bellum iuste protrahere, nec tamen illici-
te sed rationabiliter bellum deseruere. Quod si
necessitas belli non obliget ad bellum, quando
iustitia belli est evidentiissima, multo minus obli-
gat, quando res est obscura, & longa delibera-
tione opus est ad sciendum an sufficiens ad bel-
lum licite gerendum titulus subsistat. Rursus pro-
borum praxis idipsum confirmat, quia viri San-
ctissimi, maximeque probi, ut Pontifices maxi-
mi, alique pii principes circumjacentes, utram-
que partem a bello dehortari solent, quod certe
plerumque male fieret, si qui bellum licite gere-
re potest, non posset nisi illicite illud omittere.
Ergo necessitas, ad belli iustitiam & honestatem
requisita, non est necessitas moralis, seu stricta
obligatio bellandi.

Explicatur
sensus illius
dicti de bello.
38. Itaque quando dicimus bellum, ut sit ju-
stum, debere esse necessarium, sensus est, quod
illud debeat esse unicum medium, quod principi
superest, ad jus suum sibi conservandum aut ac-
quirendum, &c. In primis enim, si commode
potest, debet fieri iusta transactio. eaque me-
diante pacifica concordia. Si haec non possit ob-
R. P. A. Terilli Regula morum. PARS I.

tineri, nec alia via suppetat, tunc bellum adhibe-
ri potest, si omnia adint, quae ad belli iustitiam
& honestatem requiruntur, quia aliud remedium
non superest. Hac de causa bellum est, & recte
dicitur necessitatis, non voluntatis. Necessitatis,
quia aliud medium, principi decorum, non su-
perest, quo finem iuste intentum sibi procuret.
Non voluntatis, quia non eligit bellum, nisi
coactus, cum alia media se frustra adhibuisse ex-
pertus sit. Itaque necessitate quadam compulsus
se convertit ad ultimum medium, nempe ad
bellum, ut per vim sibi sua acquirat in bello-
offensivo, vel se suaeque jura, pacemque publi-
cam, aut alios innocentes tueatur in bello defen-
sivo.

39. His, suppositis, si Celladeus sincere pro-
cessisset, debuisset numerare, quae & quot Theo-
logi requirunt, ut bellum censetur esse iustum.
Verum si illa proposuisset, quidquid objecit,
sicut palea a vento valido dissipata fuisset. Audi
Celladeum. Ad bellum iustum omnes cum S. Tho-
ma 2. 2. quae. 40. art. 1. tria requirunt. Primum,
ut solum geratur auctoritate supremi principis,
qui nullum superiorem agnoscit. Secundum, ut
causa sit iusta, & valde gravis, qualis est neces-
sitas boni communis, & quietis conservandae; re-
cuperatio iniuste ablatorum; coercitio rebellium;
defensio innocentum, &c. Tertium, ut fiat non
ex odio, aut alia prava cupiditate, sed ex amore
boni communis, cum recta intentione pacis ob-
tinendae. Rursus tenetur princeps, antequam
bellum incipiat, omni diligentia curare, ut cer-
tus sit de ejus iustitia, & causa sufficiente ad illud
aggrediendum. Ad hoc habendum, corandum
ei est, ut habeat non solum peritos, sed probos
consiliarios, de quibus merito suspicari non
possit, eos aut sui principis adulatione, aut ali-
eni odio, aut proprii commodi intuitu quidquam
dicere, sed omnia iustissima lance ponderare, &
quae sentiunt liberrime proferre. Secundum invi-
gilare debet, ne fraudes a suis committantur im-
pediendo litteras & instructiones ad ipsum missas.
Tertium, res non solum a consiliariis, sed a peri-
tis & probis etiam Theologis examinanda est,
ut ipsi liberè dicant, quid secundum leges Evan-
gelicas de iustitia belli sentiant. Imo planè expe-
dit, ut Theologos sibi non subditos, sed prorsus
indifferentes consuleret, quia de illis minor
est suspicio adulationis, aut affectus privati inde-
biti. Demum, his auditis, ipsemet rem coram
Deo ponderet, an belli iustitia taliter probata sit,
ut ipse, omnibus consideratis, clarè perspiciat,
illam esse talem, ut merito pro illa obtinenda ne-
cesse sit bellum adhibere. Juvaret autem, si, his
peractis, nil statueret, nisi quod in articulo mor-
tis se fecisse vellet. Porro belli iustitia inspecta,
ea proponenda est parti adversae, quae si offerat
satisfactionem competentem, bellum non est
inchoandum, sed pax firmanda. Caeterum quam-
vis ad belli iustitiam non semper requiratur evi-
dencia, sed sufficiat indubitata ejus probabilitas,
ea tamen esse debet tanta & tam certa, ut omni-
bus inspectis, Princeps certo prudenter conclu-
dat, bellum sibi licere. Nisi enim hoc post debi-
tam diligentiam adsit, nunquam licite bellare po-
test. Demum alii alia etiam requirunt, & ex-
presse dicunt, conditionem possidentis etiam in
bello esse meliorem; ideoque principem non
posse bellum movere contra possessorem, quan-
do post omnem diligentiam adhibitam jus inveni-
tur aequè aut magis favere possessori, quam
aggressor. Hic ergo aliisque ejusmodi sup-
positis,

Tria ad bel-
lum licite
gerendum
maximè ne-
cessaria.

R

positis,

positis, videamus, quid argumenta Celladei probent.

Nullitas illationis Celladei.

40. Inprimis evidens est, bellum justum non esse voluntatis, sed necessitatis, sive dicatur esse vel non esse licitum sequi opinionem magis, æquè, aut minus probabilem, vel etiam certam de jure; quia bellum juxta nullam harum sententiarum adhiberi potest, nisi in defectu aliorum mediorum. Ergo semper adhibetur in necessitate, quia verè necessarium est ad finem, quem intendit, quemque Princeps prudenter existimat ad se pertinere, & licet à se per hoc medium tandem acquiri posse, eò quòd alia media non suppetant. Dixisset saltem Celladeus, benignam sententiam sternere viam ad bella nimis faciliter admittenda, ideoque repudiandam esse, utique aliquid ad rem dixisset. At contendere ex ea sequi, bellum esse voluntatis non necessitatis, tam abest à vero, ut nec umbram verisimilitudinis habeat.

41. Atqui Princeps, inquit, auditis Consiliariis, potest vel non potest flectere intellectum ad assensum opinionis minus probabilis. Ergo in probabilibus licitum ei est probabiliter ac prudenter opinari pro jure suo. & consequenter etiam illud per bellum sibi vindicare. Ergo bellum jam voluntatis erit, non necessitatis.

Respondeo, argumentum æquè procedere non solum contra opinionem probabiliorum, sed etiam contra opinionem moraliter certam, quia in omnibus rebus obscure propositis, imò & in ipsa fide Theologica certissima, assensus est liber, nec intellectus aliter assentiri potest rebus istiusmodi, quàm si voluntas illum flectat ad assensum. Itaque certum est, assensum, in quo voluntas justè bellandi aut semper aut sæpissimè fundatur, esse liberum ac voluntarium, quia justè bellantes rarè habent evidentiam de suo jure, ut patet. Hæc bellandi libertas non negatur, quando dicimus, illud non esse voluntatis, sed necessitatis. Benè enim scimus bellum esse liberum, non solum quatenus liberum est Principi, ut dubia ac rationes ipsi suggestæ examinentur, ac si rationabiles ac sufficientes inventæ fuerint, debetè executioni mandentur; sed etiam quatenus liberum ei est, ut rationibus longè prævalentibus assensum præbeat, prudenterque credat se jus habere, & sibi licitum esse bellum movere, quia in hisce omnibus non adest evidentia intellectum ad assensum inevitabiliter determinans, ut patet. Demum postquam de suo jure non solum probabiliter, sed etiam evidenter certificatus est, adhuc liberè movet bellum, quia physicè & moraliter absque peccato à bellando abstinere potest, si velit. Unde etiam scimus, omne bellum, non à necessitate physica aut morali, sed à plena libertate indifferentiæ oriri. Hæc nimis patentia sunt, & tamen hæc omnia æquivocat cum illo dicto Augustini: *Bellum necessitatis est, non voluntatis*. Cujus dicti alius sensus non est, quàm quod postquam Princeps habet motiva sufficientia ad existimandum tales res esse suas, nec desunt rationes ad illas sibi vendicandas sufficientes, adhuc non potest uti medio belli, nisi quodammodo coactus, eò quòd aut nulla alia media adsint, aut si adsint, non potuit per illa jus suum sibi acquirere. Jam hoc æquè locum habet, ex quo cumque motivo formet judicium conscientia, quo ad licetè bellandum regulatur. Ergo libertas flectendi intellectum ad assensum probabilem, impertinens est ad hoc, quod bellum sit vel non sit necessitatis potius quàm voluntatis, si loqua-

Æquivocationis & inconsequentiæ arguitur Celladeus.

mur in sensu, secundum quem certum est, illa verba debere intelligi.

42. Cæterum, quando Princeps assensum præbet motivis in actu primo verè minus probabilibus, semper in actu secundo fertur in jus suum tamquam probabilis, & absolute existimat illud solum verè subsistere, & oppositum omnino deficere. Similiter exercitè saltem judicat, rationes sibi faventes omnibus contrariis prævalere, quia exercitè, vitaliter, & judicialiter ita præfert illas oppositis, ut repugnet illum simul judicare, rationes contrarias esse meliores aut verisimiliores. Hæc fusè declarata sunt *quest. 8. num. 25. & seqq. de Conf. prob.* Itaque hoc etiam inconsequenter ad intentum Celladei objicitur, quia jam sumus in casu majoris probabilitatis existimatæ. Idem autem locum habet in omni casu, etiam reflexo, quando Princeps probabiliter format conscientiam de jure sibi debito, & honestate procedendi illud sibi; semper enim fertur in illud ex vi rationum saltem reflexarum tamquam in partem probabiliorum, & quod plus est, tamquam in partem unicè veram. Unde nil ex hoc titulo minoris probabilitatis objectari potest, nisi tandem ad casum majoris probabilitatis, si omnia inspiciantur, veniamus. Ergo hæc objectio, ut valeat, debet seipsum destruire.

Objectio Celladei ipsam destruit.

43. Porro quæ Celladeus graphicè congerit, ad ostendendum omne bellum fore justum, si liceret sequi opinionem directè minus probabilem, nullius momenti sunt; tum quia æquè impetunt usum opinionis probabilioris, sive princeps sit peritus, & ipse possit res examinare, sive imperitus, & aliis credat; nunquam enim defuerunt nec deerunt, qui jura regi proponant ut vera & verisimiliora, &c. Cæterum qui attendit ad requisita pro justitia belli, facile perspicit, non omnia bella fuisse aut certè aut probabiliter licita; tot enim & talia pro justitia belli requiruntur, ut impossibile sit, omnia ad illam requisita utrique parti semper fuisse. Quod si consilarii, aut principes ipsi ex inordinato affectu judicaverint bellum esse licitum, eo ipso habent judicium vincibiliter erroneum, & consequenter non excusantur ex vi illius, si bellum indicant, aut gerant. Hæc in universali dicta sunt; nec enim animus est ullum in particulari tangere, aut ad facta vel rationes cujusvis alludere; ineptissimus enim essem, si talibus me immiscerem, cum de illis debitam informationem nunquam habuerim.

Objectio non tangit sententiam benignam.

44. Hoc tamen mihi etiam videtur in favorem piorum principum Christianorum dicendum, culpam belli injusti, si quando suscipiatur, in consiliarios assentatores potius quàm in principem refundi debere; ipsis enim causa discutienda committitur; illi autem passione, & assentandi cupiditate moti, aut debite rem non examinant, aut quod sentiunt liberè non promunt; unde fit ut princeps non rarè bona ac prudenti fide ipsis credat, atque ita bellum injustum, sed projusto prudenter habitum, indicat. In quo casu princeps excusatur, consilarii autem graviter peccant. Nec hoc mirum est; sicut enim subditi licetè bellant in bello injusto, quando non constat illud esse injustum, & multò magis quando probabiliter supponunt illud esse justum, quamvis princeps bellum indicendo peccaverit; sic princeps excusari potest bellum indicendo, quando rationabiliter fidem dedit suis consiliariis, licet illi mentiendo, assentando, aut veritatem debite non inquirendo peccaverint. Cæterum ad hoc principes, ut tuti sint, maxime attendere debent, ut consilia-

Principes pii sæpe excusantur in bello materialiter injusto.

Quid præstandum ut Princeps sit tutus?

consiliarios ac Theologos capacissimos atque integerrimos adhibeant, de quibus merito suspicari non possint, quod aut offensionis metu, aut complacendi studio ducantur; quia si tales non sint, in re tanti momenti vix potest illis fidere. Deinde efficere debet, ut singuli totum controversae statum, atque utriusque partis rationes debite examinent, & super omnia efficere, ut singuli persuasum sibi habeant, se nil principi gratius facturos, quam si liberrimè sua sententia promant. His enim aliisque ejusmodi praemissis, fieri poterit, ut princeps in bello materialiter injusto excusetur, quamvis aliqui ex consiliariis à suo officio praeter principis expectationem desectant, & coram Deo peccent.

Evidens Celladei error & calumnia.

45. Demum falsissimum est & injuriosum, quod dicit Celladeus, Auctores benignae sententiae dicere, nullum hominem peccare, qui putat se non peccare. Hoc enim unanimi eorum consensui apertissime repugnat, cum omnes tradant, conscientiam vincibiliter erroniam à peccato non excusare; & tamen, qui formando conscientiam vincibiliter errat, putat se non peccare in eo, quod verè peccatum est, & ipsi ut peccatum imputatur. Dices, hoc utique est notoriè verum. Unde ergo factum est, ut Celladeus contrarium dixerit? Respondeo me nescire, nec suspicionibus uti velle. Viderit ipse. Hoc tamen assero, Epiphonema illud, quo post hæc omnia concludit, Ergo bellum quodlibet non necessitatis est, sed voluntatis, nulla ratione subsistere, cum in evidenti terminorum æquivocatione fundetur, ut ostensum est; & ad ejus veritatem impertinens sit, judicium de belli honestate in principis potestate esse positum.

Inconsequencia argumèti notatur.

46. Ultimum quod Celladeus ad invidiam benignae sententiae conciliandam addit, nempe quòd doctrina de probabilium usu bella quamplurima, atque regnorum everisiones, innumerasque reipublicae calamitates pepererit, quæ mala, si talis doctrina ea non approbasset ut licita, nunquam in nostro horizonte comparuissent; hoc, inquam, dictum ejus omni fundamento caret, quia ipse putat, doctrinam istam ante centum circiter annos approbatam non fuisse. At certum est, non pauciora, sed plura bella superioribus sæculis quam hoc ultimo inter Christianos Catholicos Europæos viguisse; cum maxima bellorum hujus sæculi pars inter Catholicos & hæreticos extiterit, quæ quin ex parte Catholicorum plerumque justa fuerint, nulla potest esse suspicio. Ergo si facta sequuta tribuenda sint Theologorum doctrinae de probabilium usu, concludere debebat Celladeus, opinionem de licito probabilium usu multum profuisse, in nullò simpliciter nocuisse reipublicæ, quod ego verissimum puto. Nec mirum; quia licet opinio illa videatur viam laxare, quia dicit omnem probabilitatem practicam, etiam minorem, ad conscientiam rectè formandam sufficere, nihilominus Auctores illius sententiae tam clarè loquuntur in singulis materiis, & tot requisita ad practicam certamque probabilitatem exigunt, ut si omnia considerentur, præsens doctrina magis deterreat principes à bello, quam priorum temporum opiniones.

Doctrina de bello non est laxata à tempore Vasquii.

47. Nec plus veritatis habet, aut plus ad rem facit querela Celladei, quod Theologia à tempore Vasquii mirè laxata sit circa materiam belli. Ego certò scio, Vasquem per omnia repugnare Celladeo, ac expressè docere, Doctore licitum esse, sequi alienam opinionem contra propriam, omnibusque concessum esse, ut tutò sequi possint opinionem minus tutam, minusque

probabilem. Idem docet Suarez, aliique omnes ejusdem ætatis scriptores, & coetanei Vasquez, nec ullus illorum ullam exceptionem facit, si sententia illorum ritè exponatur de probabilitate practica, de qua sola illi loquebantur, & intelligi possunt. Unde non video, nec Celladeus videt, in quo Doctrina reflexa de materia bellata fuerit à tempore Vasquez. Quod tunc erat, & communiter admittebatur ut verum, id nunc quoque eodem modo se habet. Nunc enim, sicut tunc, bellum utrumque non est materialiter justum; quia verum jus directum uni tantum parti convenit, ut patet. Ceterum etiam tunc admittebatur, Celladeo etiam idipsum fatente, principem bellantem absque vero jure tape excusari ob invincibilem veritatis ignosantiam, & inculpabilem de suo jure existimationem. Hoc nec aliud Auctores benignae sententiae hodie docent. In quo ergo facta est mutatio? in quo laxatum est? Nec tamen tanti est justitia probabilis, quanti ipsa justitia, quia quamvis ubicumque datur justitia certò probabilis, & practica probabilitas quod bellum liceat, detur etiam jus quoddam certum ac reflexum in principe, ratione cujus possit per media debita, ac tandem etiam ex necessitate per bellum sibi vindicare jus directum, quod ad se scit certò probabiliter pertinere; nihilominus semper præstat habere verum & indubitatum jus, quam solum probabile; quia indubitatum jus magis defendit possessorem, quam solum probabile. Et sanè error invincibilis in principe de suo jure, illum bellantem à peccato liberat, & bona bello acquisita in ejus potestatem redigit, non minus quam certum jus, & bellum certò materialiter justum, ut non negat Celladeus. Peto ergo ab ipso, an tanti sit jus errore invincibili existimatum, quanti jus verum? Ecce ipse tenetur eandem instantiam solvere. Si affirmet, cur absurdum putat, quod nos idem de justitia probabilis concedamus? si neget, ostendat disparitatem, & eandem in casu nostro inveniet; in quo haud dubiè semper intervenit error & ignorantia invincibilis de suo jure, quoties princeps juxta præscripta benignae sententiae bellum gerit, & verum dominum sua re per accidens privare contendit.

Argumentum retorquetur.

Jus verum prævalet juri existimato.

48. Sed quid Celladeus responsurus sit, nescio; ego respondeo semper plus esse veritatem scire, quia est id, ad quod toto nisu tendere obligamur, quodque per se expeditur, atque tale, ut quoties certò scitur adesse, longè plura commoda secum ferat, quam jus errore invincibili existimatum, quod solum in defectum juris certi ac certò cogniti, seu per accidens quaeritur, & ad quod per accidens solum, & in alterius defectum, si velimus illo uti, obligamur. Atqui melius & appetibilius est quod per se, quam quod solum per accidens expeditur; optabilius est illud cujus gratia cætera fiunt, & ad quod habendum tenemur diligentiam adhibere, quam illud imperfectius, quod loco rei intentæ præter expectationem succedit. Sic melior esse scientia quam error, melius jus verum, quam per errorem etiam invincibilem apparens; quia omnis error est quædam macula ac nota in intellectu, causatque involuntarium in voluntate præter desiderium & intentum operantis. Nec alia plura desunt discrimina. Nec obstat, quòd utrumque in ordine ad aliquos fines aliquo modo ex æquo conducat; nimirum quod utrumque ex toto arceat peccatum, & provincias aliorum ex æquo expugnet, &c. nam hæc ita ex æquo fiunt, ut

tamen in modo faciendi sit diversitas; nam alterum factum est undecumque bonum; integrè voluntarium; alterum verò pœnitudini subjacet, & est involuntarium secundùm quid, quia si veritas detegatur, victor tenebitur ad restitutionem, culpabitque priorem electionem ut invo-

luntariam, quia in errore fundatam. Atque hæc de bello dicta sufficiant, quia ostendunt, Celladeum in hac re triumphasse ante victoriam, & in omni apice, ad causam nostram spectante, causâ cecidisse.

QUÆSTIO VIGESIMA-PRIMA.

Virum usus probabilium contradictoriorum aquivaleat sententia Heracliti, qui dixit utramque simul partem contradictionis esse veram.

Quidam docuerunt cōtradictoria esse simul vera.

1.  **ELLADEUS** lib. 1. quæst. 16. primò ex Aristotele 4. *Metaphysicorum* proponit, Heraclitum olim dixisse, rem eandem simul esse & non esse, & consequenter, tam affirmantes, quàm negantes idem, verum dicere. Deinde assert sententiam Pythagoræ, seu potiùs cujusdam Protagoræ, qui arbitratus est, ipsam veritatem nos prorsùs latere, nec inveniri posse. Hinc definiunt illud omne esse verum, quòd unicuique videtur esse. Unde quoties contradictoria nobis videntur, illa sunt vera. Itaque utraque hæc sententia in eo convenit, quòd contradictoria simul sint, aut esse possint vera. Tum citat Academicos, qui affirmabant, nil potiùs verum esse quàm falsum, sed omnia per probabile & verisimile determinabant.

His præactis, Celladeus, omisiss in præsentem Academicis, contendit, eadem inconvenientia provenire ex usu licito contradictoriorum probabilium, quæ ex Heracliti ac Protagoræ opinionibus sequuntur. Verùm ad eò infelicitè atque præter omnem probabilitatem, ut quæstio mihi visa sit nulla confutatione indigere. Nihilominus, quia benignam sententiam sub mirabili prætextu impetit, atque Auctores, probabilium usum approbantes, indignissima comparatione traducit ac vilipendit, prætermittenda non est; tum ut Auctores dignissimos, nil tale merentes, ab injustissima comparatione & nota defendam, tum ut quòd benignæ sententiæ adversari videtur dissolvam. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

Celladeus æhonestat Auctores gravissimos.

Equiparatio inter Auctores benignæ sententiæ & Philosophos antiquos proximè nominatos, atque inter horum & illorum doctrinas citatas, est in se absurdissima, & Auctoribus Catholicis pietatis ac sapientiæ laude clarissimis maximè injuriosa.

2. **P**ROBATUR, ac declaratur assertio. Antiqui illi Philosophi in primis negabant quidquam esse certum; ac proinde omnes absoluebant à conatu ac diligentia inquirendi ipsum verum ac certum, quia stultum esse dicebant la-

borare ac conari ad inveniendum, quod quis credit inveniri non posse. Deinde dicebant, hominem, ut benè operetur, non obligari ad determinandum intellectum ad unam partem contradictionis, sed sufficere, si citra assensum faciat, quod ipsi ita repræsentatur sub specie boni, ut allicere possit voluntatem. Ita expressè docebant Academici. Protagoras autem & Heraclitus, si consequenter ad sua principia loquantur, aliud ad rectè operandum non requirunt, nisi quòd res videatur & appareat bona, eo ipso enim habet, quod ipsi ad veritatem requirunt. Et quidem Protagoras nolebat nos judicare rem esse verè bonam (hoc enim erat judicare de subiecto secundùm illum non supponente & invenibili) sed solum habere meram apparentiam, seu apprehensionem boni. Tertio nullam sollicitudinem habebant, quæ & quanta esset ista apparentia, sed qualicumque contenti erant. Academici, modò voluntas moveri posset, intellectu nil affirmante; Heraclitus & Protagoras eo ipso veritatem admittebant, quòd res apprehensæ ullam veritatis speciem præ se ferrent; neque enim in suis principiis aliter discurrere poterant. Unde quartò demum, nemo istorum inter vincibilem & invincibilem veri apparentiam distinguebat, nec de ejusmodi diversitate sollicitus erat, ut patet.

3. E contra Doctores Catholici, benignæ sententiæ patroni, omnia istis contraria firmissimè tenent. In primis diserte asserunt, plurima esse certa, atque cum respectu ad solum certum omnia nostra studia & operationes instituendas esse tradunt. Omnium constans assertio est, quòd in rebus incertis nemo partem minus tutam licitè sectari possit, nisi priùs veritatem diligenter investigaverit, feceritque quantum potuit & debuit, ut veritatem ipsam inveniret. Nec hæc diligentia contenti sunt, sed insuper addunt, hominem sectantem minus tuta non aliter à peccato liberari posse, quàm si dictâ diligentia præmissâ per rationes directas vel reflexas determinaverit intellectum ad eam partem contradictionis credendam, quam in praxi sectatur, formetque conscientiam ac bonam fidem, quâ absolutè credat, objectum illud esse licitum. Neque hinc sistant hi Auctores, sed adhuc exigunt, ut fides illa bona, ac conscientia permittens non leviter, non

Errores intolerandi Antiquorū.

Opinio benigna per omnia Heracliti opinionem opponitur.